

2A 3440



John J. W. [unclear]
[unclear] [unclear] [unclear]
Ann 1744

1759
51.99

6958

2954

4042

6999

5799

2957

2842
~~5190~~

John J. W. [unclear]
[unclear] [unclear] [unclear]

COLLYRIUM

AD CURANDOS QUORUNDAM ACATHOLICORUM,

et circa
CULTUM SANCTORUM,
SACRARUM IMAGINUM, ET
RELIQUIARUM, NEC NON
CRUCIS CHRISTI.

S. Paris Opera
cæcutientes oculos,

R. P. GABRIELIS SZERDAHELYI

Societatis Jesu Theologi

Min. Act.
accommodatum

Act.
Ex Munificentia Illustrissimi Domini,

DOMINI

PAULI LEOPOLDI

MEDNYANSZKY

Lib. Bar. de MEDGYES,

Equitis Aurati, Sac. Cæsar. Regiæq;

Majestatis Camerae Hungaricæ Consiliarii,


& Inclytæ Cameralis Administratio-


nis Scepusiensis Administra-

toris in lucem datum.

CASSOVIAE, Typis Academicis,

per Jo. Henr. Frauenheim, 1724.





Ad benevolum Lectorem.

Vidisti, ut opinor, benevole Lector, decem perspicilia papyro in formam Libelli consuta an. 1659. impressa; quibus totidem propositiones partim ex libris Doctorum Catholicorum excerptas, partim turpi commento confictas quidam Praedicans Calvinisticus Hungarico idiomate inseruit, ut per illa cerneretur, utrum in cultu Sanctorum, Sacrarum imaginum, ac reliquiarum, quem iidem Doctores profitentur, absit idololatria? Alius quoque ejusdem fursuris Sycophanta Cassovia nescio quoostro nuper percitus, ut illi cabellationi insisteret, colossum in medio Urbis Honori Virginis Deiparae non dudum erectum ludibrio habens, non est veritus infame schediasma sub noctis tenebris eidem affigere, in quo nos Catholicos idololatriae infimularet. Utrunq; opus omni ratione carens, solisque praeagnans calumniis, non scientiam auctoris, sed ingenium mentis cacitatem probat: ut vel ideo merito contemnendum potius, quam refellendum foret, nisi equi-



*dem Tuo ardentissimo longè minus, sed
mutuato à Tua dignitate lumine illu-
strius, quàm quòd ex se habet. Vive
incolumis quàm diutissimè, & pro fa-
vore, quem erga veritatem sæpenumero
ostendisti, Numen aeternum Te perpe-
tuis favoribus prosequatur. Ità ani-
mo sincero voves*

HONORI TUO

Addictissimus

Gabriel Szerdahelyi,
è Soc. JESU.



PARS I.

§. I.

DE CULTU SAN-
CTORUM.

A *Catholicus.* Cur vos Catholici
puros homines, licet Sanctos
adoratis, cum Deuter. 6. præcipiat
Deus: *Dominum Deum tuum adora-
bis, & illi soli servies* & Quæ verba re-
petuntur Matt. 4. & negans Christus
diabolo adorationem, videtur do-
cuisse, nulli creaturæ competere pos-
se adorationem, sed soli Deo. Un-
de etiam Apost. 1. ad Tim. 1. ait:
Soli Deo honor, & gloria.

Catholicus. Næ tu, mi amice, cæcus
esse videris, si enim visu destitutus
non esses, adverteres adorationē, si-
ve cultū aliud non esse, quàm notā &
significationē submissionis erga al-
terius personæ excellentiā, sive di-
gnitatem.

gnitatē: cūm verò cultus & honor
 debeat per personæ propter excellen-
 tiã ejus, tot esse species adorationis,
 quot sunt species excellentiæ. Hæc
 alia est diyina & infinita, cui respon-
 det prima species cultûs, quæ à
 Theologis dicitur latria. Alia ex-
 cellentia est humana, consistens in
 humanis virtutibus, dignitatibus,
 Gradibus &c. cui correspondet se-
 cunda species cultûs civilis, & ob-
 servatio quædam humana. Quam-
 vis hæc variè dividi possit, ut docet
 Aristot. lib. 9. Ethic. c. 2. cūm ali-
 us honor debeat patri, alius Prin-
 cipi, alius Præceptori, alius Sapien-
 ti & erudito &c. Alia deniq; excel-
 lentia est media inter divinã, & hu-
 manam: qualis est gratia, & gloria
 Sanctorum: ista enim sunt dona su-
 pernaturalia, & excellentissima. Et
 huic excellentiæ respondet tertia
 species cultûs, quam Theologi vo-
 cant duliam. Quia verò inter san-
 ctas creaturas humanitas Christi se-
 cun-

cundum excellentiam pure creatam, quam ex se, aut in se habet, & Beatissima Virgo Maria, ob excellentiam singularem, & maternitatem Dei, cæteris Sanctis præeminet, ideo Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, dividunt in duliam simpliciter dictam, & hyperduliam, istam humanitati secundum se acceptæ, & Deiparæ tribuentes.

Quando igitur Deus se solum adorari præcipit, loquitur de cultu patriæ soli Deo debitæ, & non Diis Gentium, aut ulli creaturæ, ut velex illo ipso Deuter. loco patet, cum statim v. 14. subjungat: *Non ambulate post Deos alios ex Diis Gentium, quæ circa vos &c.* Talem autem cultum patriæ petivisse dæmonem à Christo sibi exhiberi, patet ex eo, quia is jactavit se Dominum totius mundi. Non vides? collyrium oculis illine.

Certè plenæ sunt scripturæ tam veteris, quàm novi Testamenti testimoniis, cultum & honorem patriam

inferiorem creatæ excellentiæ concedentibus. Pauca solum afferam : Josue 5. v. 13. cum Josue audivisset ab Angelo, quod sit Princeps exercitus Domini, cecidit pronus in terram, & adorans ait : *Quid Dominus meus loquitur ad servum suum ?* Quem cultum approbavit Angelus, imò majorem exegit, subjungendo : *solve calcamenta pedum tuorum, locus enim, in quo stas, sanctus est* (scilicet propter præsentiam Angeli) *fecitq; Josue, quod sibi fuerat imperatum.* 1. Reg. 28. Saul adoravit animam Samuelis sibi apparentem. Certum autem est, non convenire civilem honorem animabus defunctorum. 3. Reg. 18. Abdias vir sanctus adoravit Eliam pronus in terram : non utiq; adoratione, & cultu merè civili, quia quantum ad humanam excellentiam, major erat Abdias, quàm Elias, cum hic privatus homo, ille autem unus ex Principibus Regni fuerit : ergo propter intrinseca do-
na

na supernaturalia, adeoq; plus quam cultu merè civili. Daniel. 2. postquam Propheta somnium Regi Nabuchodonosori sapientissimè exposuisset, *tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam* (ait sacer textus) & *Danielem adoravit*; scilicet propter donum interpretationis à Deo ipsi concessum. Hæc ex veteri Testamento.

In novo Testam. ad Rom. 2. v. 10. dicitur: *gloria & honor omni operanti bonum.* Apoc. 3. v. 21. Christus de martyribus ait: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, & sedi cum patre meo in throno ejus.* Joan. 12. v. 16. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit illum pater meus.* Ex quibus constat, Deum velle Sanctos suos laudari, & glorificari: cur ergo eisdem honor, ac veneratio eximia à nobis non deberetur? Non vides hæc? utere collyrio.

Ut autem melius videas, accipe etiam demonstrationem ejusdem

Veritatis ex prædictis Sacrazum Litterarum testimoniis erutam. Illis rectè debetur honor, & reverentia, seu cultus plusquàm civilis, videlicet duliæ, in quibus reperitur singularis quædam eminentia, & dignitas supernaturalis. Sed ista reperitur in Sanctis Angelis, & hominibus. Ergo illis rectè defertur honor & reverentia, seu cultus plusquàm civilis. Minorem negare non potes, quia sanctitas Angelorum & hominum consistit in illa eminentia, & dignitate supernaturali. Major etiam constat intelligenti, quid sit adoratio & cultus; nec est aliud (ut supra dixi) quàm quædam submissio extrinsecùs significata erga alterum ex recognitione excellentiæ ipsius: quæ excellentia si sit increata, est cultus patriæ; si creata & supernaturalis, est cultus duliæ, & major cultu merè civili.

Acatb. Dic mihi, unde illa diversitas adorationum desumatur? nam
vide-

videtur esse idem utriusq; motivum: cum enim sancti colantur propter excellentiam quandam supernaturalem, ultima ratio eos colendi est excellentia divina. Unde à Catholicis audimus, inq; eorum libris legimus hujusmodi effata, & elogια: *Laus Deo, Virginiq; matri: Ad majorem Dei, Deiparae q; Virginis Mariae, & omnium Sanctorum gloriam & honorem.* Imò Deipara Virgo etiam Dea appellatur, & ea, quæ Dei sunt, illi appropriantur. Ergo vos parem gloriam, & reverentiam exhibetis Deo, ac Virgini Mariæ, cæterisq; sanctis.

Cathol. Nōne jam dictum est diversas esse excellentias, quas cultus respiciunt, pro quarum diversitate, cultus quoq; diversus est. Hinc cum excellentia Sanctorū, ac etiam Deiparæ longè inferior sit, utpote creata, quàm sit excellentia, & dignitas ipsius Dei, non eō modò coli possunt Sancti, quō colitur DEUS, sed multò inferiore, videlicet ut amici

Dei. Quamvis autem excellentia Sanctorum necessario respiciat excellentiam propriam Dei, illa tamen ab hac realiter distincta est; ac proinde etiam motivum; sive ratio colendi Deum re ipsa distinguitur à motivo colendi Sanctos. Ideo 1. Paralip. c. 29. in eadem inclinatione externa reperiuntur duæ diversæ adorationes, Dei nempe & Regis: dicitur enim: *Benedixit omnis Ecclesia Domino patrum suorum, & inclinaverunt se, & adoraverunt Deum, & deinde Regem.* Unde patet verbum adorationis esse indifferens, & applicabile ad hanc & illam adorationem, fierique determinationem ad hanc vel illam, non per actum externum, sed per internos, intellectus & voluntatis, ita ut prima species adorationis, sive latria soli Deo conveniens, sit quædam summa voluntatis prostratio & inclinatio cum apprehensione Dei ut primi principii, & ultimi finis, atque adeo summi boni: se-

cunda species, seu cultus civilis sit longè minor inclinatio voluntatis cum apprehensione certa humanæ excellentiæ: tertia deniq; species sit media quædam inclinatio voluntatis cum apprehensione excellentiæ plusquàm humanæ, & minùs quàm divinæ. Quid igitur mirum, quòd aliquando iisdem verbis dicamus: *Laus Deo, & Beatæ Virgini &c.* cùm laus & laudis paritas non consistat in verbis, sed in animi sensu, quòdamus laudem Deo ut Deo, Mariæ tanquam Matri Dei, & creaturæ præcipuæ inter omnes Sanctos & Angelos in cœlo: alioqui enim in cit. Scripturæ loco Ecclesiæ eadem adoratione adorassent Regem, quàm Deum: quod falsum est. Licet igitur interdum eadem verba erga Beatam Virginem adhibeantur, quæ ad Deum usurpantur, illa tamen semper longè inferiori sensu, & æstimatione sumuntur erga Beatissimam Virginem, quàm erga Deum, perinde

de fere ut David Psal. 81. v. 6. etiam homines appellat Deos : *Dii estis, & filii Excelsi omnes &c.* quæ tamen verba non secundum æqualitatem, sed secundum participationem intelligenda sunt. Unde digna notatu sunt verba illa S. Hilarii ad Constantinum Imperatorem : *sensus, non sermo crimen est.* Hoc nisi & vos A catholici observetis, vos ipsos crimini subicitis, dum vestris in carminibus Elisabetam Angliæ Reginam Deam nominatis : quod sine blasphemia dici non posset, nisi nomen Deæ aliter sumeretur, quam communiter accipi solet vel in Scriptura, vel apud Ethnicos. Nō vides, quàm ineptè loquaris? collyrio oculos inūge.

A cath. *Dulia* Græca vox significat servitutem, *latría* cultum. Minus autem est colere aliquem, quàm ei se vire : quia colimus etiam æquales, & amicos ; non autem servimus, nisi dominis.

Cathol. Ergone litem jam de voce
mo-

moves ? quod non Theologi, sed Grammatici est. Cæterum *dulia* non est plus, quàm *latria*, quia ut lingvæ Græcæ periti testantur, juxta profanos auctores idem significant; secundum autem Scripturæ, & Ecclesiæ usum longè major est *latria*, quàm *dulia*: illa siquidem non est quilibet cultus, sed cultus summæ servitutis; hæc autem cultus cujuscunq; servitutis.

Neq; obstat, quòd non simus servi Sanctorum perfectè; quia sumus eorum servi imperfectè: *dulia* autè ex prima sua impositione significat quamlibet servitutem, tam perfectam, quàm imperfectam. Dicitur perfecta servitus eorū, qui id, quod sunt, alterius sunt, & operantur moti ab alio tam efficienter, quàm finaliter, id est, operantur propter dominum, & ab ipso domino moti tanquam instrumenta ad operandum, ut Arist. docet lib. I. Polit. c. 3. Imperfecta servitus est eorum, qui ali-

quid horū habent, nō tamen omniz, id est, qui moventur ab alio aliquo modo, sicut apud Apost. ad Galat. 4. infans dicitur nihil differre à ser-vo, licet sit dominus, quia movetur ab alio effectivè : è contra is, qui re-git, dicitur servus eorū, quos regit, 2. ad Cor. 4. quia movetur ab alio finaliter. Itaq; nos etiamsi non si-mus servi Sanctorum perfectè, su-mus tamen imperfectè, quatenus il-li nos movent, & juvant, ad bene o-perandum exemplò suò, & interces-sione apud Deum. Unde S. Gregor. lib. 3. Dialog. c. 24. dicit, Sancto Pe-tro grata esse sibi servientium obse-quia. Non vides errorem tuum? en collyrium. 9.

Acatb. Cur ergo Petrus recusavit adorationem Cornelii Act. 10. inqui-ens: *quia & ego ipse homo sum* ? Ange-lus etiam, cū Joan. Apost. adorare ipsum vellet, *vide (inquit) ne fece-ris, conservus tuus ego sum; Deum adora Apoc. 22. Nec Angelus autem,*
nec

nec Petrus recusavit cultum latriæ, quia hunc dare Cornelius, & Joannes noluerunt. Solum ergo duliæ cultum à se repulerunt.

Cathol. Non legisti S. Joan. Chryso-
 stomum, qui in eundem loc. Act.
 ait. Petrum illum honorem recusâsse
 se tum ex modestia, tum maxime,
 quia tam profunda prostratio poterat
 Judæis præsentibus hujusmodi
 cæremoniæ insuetis quasi latriæ
 videri, ac proinde scandalo esse. Imò
 S. Hieronymus lib. contra Vigilantium
 cenet, quòd Cornelius aliquid divinum
 putaverit Petro inesse, & ideo merito
 correctus est. Angeli exemplum autè
 contra vos est. Vel enim Joannes
 putavit eum, qui sibi apparuerat, esse
 Deum, vel Angelum? si Deum, merito
 reprehensus est. Si Angelum, & tamen
 adoravit, cur nos reprehendimur à
 vobis, qui facimus, quod Joannes
 fecit. Quòd autem Joannes correctus
 fuerit, ratio prima est ex S. August.

gust. q. 61. in Gen. quia fortè Angelus sic apparuit, ut potuerit existimari Christus: dixerat enim c. 1. *ego sum primus, & novissimus, & fui mortuus, & ecce sum vivens &c.* ob quod potuit existimari Christus, nisi ipse explicuisset se non esse Christum: ideo corrigendus erat adorator, non propter errorem adorationis, sed propter errorem personæ. Secunda ratio est ex S. Gregor. lib. 27. *Moral. c. 11. & homil. 8. in Evang. quòd hæc prohibitio profecta sit ex Angeli modestia, & erga Christi humanitatem reverentia. Quod inde etiam apparet, quia quamvis Joannes ipse c. 19. semel audivisset: vide, ne feceris &c. tamen c. 22. iterum voluit eundem Angelum adorare: intelligebat enim & se rectè facere adorando, & Angelum rectè facere recusando. Tunc ergo vis sapientior esse tantis Ecclesiæ Doctoribus, imò ipso S. Joanne Apostolo? Non vides in te superbam præsumptionem? Adhibe collyrium. *Acath.**

A cath. Jam utcumq; video, cultum Sanctorum, qualem mihi exposuisti, non esse improbandum. Sed nonne idololatria est aliquid extra Deum, ejusq; Sanctissimum Filium eodem modo adorare, quo adoratur Deus? Hoc autem vos Catholici facitis, quia ut in Hodoego Petri Pazmány lib. II. cap. I. imò & in Concilio Tridentino Sess. 13. c. 5. can. 6. legitur, Sacramentum Eucharistiæ nunc quoq; ita adorant Catholici, sicut ipsum Christum.

Cathol. Hoc tu dicis, quia Calvinii errorem sequeris, negando Christum realiter præsentem cum Divinitate sua in hoc Sacramento. Cùm verò nos Catholici Verbum Dei in scripturis revelatum amplectentes, indubitanter credamus ibi sub speciebus panis & vini propriè, re ipsa, & verè Christum totum præsentem esse, non aliud ibi adoramus, quàm Christum. Unde hinc ingentem tuam stoliditatem prodis, improbando,

do, quòd Christum adoremus ùt Deum, cùm is verè Deus sit, ùt & tu fateri debes. Negas quidem, & perperam negas, in hoc Sacramento verè, & realiter esse Christum, sed si cit. cap. libri Petri Pazmány legisses, & errori tuo pertinaciter adhærere non velles, clarè agnosceres veritatem de reali Christi præsentia in eo Sacramento. In ipso etiam Concilio Trident. doctrinam hanc, & Fidei articulum copiosis Sacrarum scripturarũ testimoniis stabilitum invenires. Nunc verò oculos cæcutientes habes: collyrio illis succurre.

Acatb. At etiam Beatam Mariam eodem adorationis genere colitis, dum in vestris Breviariis, Officiisq; canitis: *Maria mater gratia, mater misericordia &c. Felix cali porta.* cùm tamen Joan. 10. v. 7. & 9. Christus se solum nomine ostium, sive portam ejusmodi. Imò ipsum quoq; vestrum Papam Agnum Dei appellatis,

latis, & ab eodem misericordiam petitis. Ità enim legitur Chron. par. 3. tit. 20. §. 3. quòd Legati à Siculis ad Martinum Papā hoc nomine quartum missi, ad genua ejus prociderint, terq; exclamaverint: *Agnus Dei, qui tollis peccata, miserere nobis.* Hæc autem soli Christo conveniunt juxta eundem S. Joānem c. I. v. 29. Quidni ergo idololatriam comittitis?

Cathol. O detestandam cæcitatem! Hic certè nec centoculus Argus idololatriam videret; & tu, cum cæcus sis, ibi tenebras esse (juxta Scripturam enim omne peccatum tenebræ sunt) more illius mulieris à Seneca memoratæ, arbitraris. Jam audisti, idololatriam esse, quando tribuitur honor creaturæ, sicut Deo; nec ea consistit in verbis, aut aliis signis externis, sed in animi sensu, quo damus honorem creaturæ, sicut Deo. Alioquin vestri Poætæ in Anglia essent idololatræ, cum Elisabetham Reginam suam sæpe Deam appel-

pellent : neq; David Psal. 81. potuisset homines sine idololatria vocare Deos : nec omnis Ecclesia lib. 1. Paralip. c. 29. licite potuisset eadem corporis inclinatione adorare Regem, quã adoravit Deum. Memineris autem superius dictorum, quòd dum nos de B. Dei Genitrice dicimus : *Felix celi porta*, longè inferiori sensu & æstimatione hoc de illa dicimus, quàm de Christo : de illa ut de hujus matre, quæ sola fuit electa, ut eum gigneret, qui morte sua, cœlum, quod nobis per peccatum clausum erat, reseravit : de Christo verò ut Redemptore, ante cujus ascensum nemini mortalium cœli patebant. Ignarus es etiam troporum Rhetoricorum, qui sunt verbi, vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio. Cur autem non posset cum virtute dici porta cœli, ex cujus utero prodiit reserator cœlorum ?

Etiam locum S. Joannis citatum
adul-

adulteras, quia ibi Christus loquitur de ostio, per quod in ovile, sive in Ecclesiam intratur. Tu hoc ignoras, quia per fenestram intrasti: quis itaq; sis, vide in eodem cap. Evangelii Sancti Joannis.

Ex his jam liquet omni videnti, quod nec Legati Siciliae commiserint idololatriam; cum illi non eo sensu dixerint Papae: *Agnus Dei, qui tollis peccata*, quo dicitur de Christo, sed multo inferiori. Nec est contra Scripturam sacram, quod eum vocaverint agnum Dei, quia apud eundem Evangelistam c. 21. v. 16. omnes Fideles dicuntur agni Dei per illa verba ad Petrum: *pasce agnos meos*. Aut quod dixerint: *qui tollis peccata*; omnibus namq; Apostolis, eorumq; successoribus, ac proinde specialiter Capitibus Ecclesiae dixit Christus Joan. 20. *quorum remisistis peccata, remittuntur eis*. Quid autem aliud est remittere peccatum, quam tollere peccatum? Nec per hoc

hoc errarunt Legati illi, quòd Papæ dixerint: *miserere nobis*, quia juxta Regium Prophetam: *justi misericordes sunt, & miserantur.* & Judæ 2. v. 23. *illos verò salvate de igne rapientes; Aliis autem miseremini in timore.* Ecce Deus vult, ut & homines miserantur aliorum hominum: ergo potest rogari homo ab aliquo, ut ejusdem misereatur. Cæterùm hæc omnia multò inferiori modo conveniunt homini, quàm Christo, & Deo, ut sæpe dictum est. Etiam egeni A-catholici non rarò implorant suorum patronorum misericordiam, & vocèq; incondita clamant: *miserere nobis*: Hæc lippis etiam nota sunt. Non vides? collyrio utere.

§. II.

DE INVOCATIONE SANCITORUM.

A*Cath.* Saltèm non video, quomodo vos Catholici invoca-

re Sanctos jam mortuos possitis, cum illi non cognoscant viventium preces juxta illud Eccles. 9. *Viventes sciunt se morituros, mortui vero nihil noverunt amplius.* & Isai. 69. *Abraham nescivit nos & Israël ignoravit nos.* Etiam 4. Reg. 22. dicit Deus Josiæ Regi: *colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum in locum istum.*

Cathol. Non vides, quia ex eo populo es, de quo dicit Sapiens c. 2. v. 21. *excæcavit eos malitia eorum.* Nonne Gen. 48. v. 16. Jacob Patriarcha nepotibus suis benedicens ait: *Angelus, qui eruit me de omnibus malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum?* Cujus textus secunda pars loquitur de mortuis, cum patres Jacob jam tunc non vixerint, quando is dixit invocanda nomina patrum suorum. Quod autem Sancti jam defuncti cognoscant viventium preces, patet ex illo Apoc. c. 5. v. 8. *Vi-*
giati

ginti quatuor Seniores ceciderunt coram
 agno habentes singuli citharas, & phialas
 aureas plenas odoramentorum, quæ sunt
 orationes Sanctorum. Ubi per viginti
 quatuor seniores intelliguntur San-
 cti veteris & novi Testamenti, qui
 eo tempore, quo Joan. Apost. hæc
 scripsit, erant cum Christo in cœlesti
 gloria. Præterea bene dicit S. Gre-
 gor. lib. 4. Dialog. c. 3. *Quid est, quod
 nesciant, qui scientem omnia, sciunt?*
 sed negari non potest, Deum à Bea-
 tis videri, seu sciri, cùm Mat. 5. v. 8.
 dicatur: *Beati mundo corde, quoniam
 ipsi Deum videbunt: 1. ad Cor. 3, vi-
 demus nunc per speculum in anigma-
 te, tunc autem (nempe dum beati
 erimus) facie ad faciem 1. Joann. 3.
 Similes ei erimus, quoniam videbimus
 eum, sicuti est.* Sed licet in Deo non
 viderent Beati preces Fidelium ali-
 quando ad ipsos fundendas, possent
 tamen eas cognoscere per revelatio-
 nem peculiarem ipsius Dei, vel An-
 gelorum. Cùm igitur S. Joannes cit.
 loco

loco testetur, eos non latere orationes nostras, necesse est, ut vel hoc, vel illo modo eas cognoscant.

Textus Scripturæ, quos in contrarium adducis, non sunt ad nostrum propositum. Non enim disputamus de notitia, quam mortui habuerunt in veteri Testamento ante Christi adventum, sed de notitia, quam habent in novo Testamento post Christi ascensum: & speciatim de notitia, quam nunc habent Sancti cum Christo regnantes in cœlesti gloria. Magna autem est differentia inter hos, & veteris Testamenti mortuos: quia mortui veteris Testamenti non erant ante Christi mortem in statu beatitudinis, ut vos quoq; fatemini; animæ verò Sanctorum, qui in novo Testamento moriuntur, ac etiam veterum Sanctorum jam sunt beatæ, ut testatur Apostolus 2. Cor. 5. Eph. 4. v. 8. Christus Dominus Luc. 23. v. 43.

Deinde singuli illi textus loquuntur

tur de cognitione naturali, quod nimirum naturaliter non cognoscant mortui, quid agant vivi; sicut nec vivi cognoscunt, quid agant mortui. Itā verba illa exponunt Sancti Patres, aliq; Scripturæ interpretes: quia Beati in cœlis non nisi supernaturaliter sciunt, quid nos hic agamus, nempe vel in Deo formaliter, vel per revelationem divinam.

Ad 2^{dum} tamen Isa. 69. dici etiam potest cum S. Hieronymo, sensum illius juxta præcedentia verba: *Tu enim pater noster &c.* esse hunc: Abraham, & Isaac non cognoscunt nos amplius pro filiis suis, sed spernunt, & abjiciunt propter peccata nostra. Nondum vides, quomodo hallucineris? collyrium oculis illine.

Acath. 1. ad Tim. 2. dicitur: *Unus est mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus.* Eph. 2. v. 18. per ipsum habemus accessum ad patrem. Ergo frustra ad Deum recurrimus median-

diantibus Sanctis, imò injuriam faciunt Christo, qui præter ipsum alios mediatores apud Deum constituunt.

Cathol. Si tua consequentia valem, S. Paulus frustraneum aliquid egit, imò injuriam Christo fecit, dum ad Rom. 15. v. 30. scripsit: *obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Quæ repetit ad Eph. 6. ad Thes. 5. & alibi. Si enim dicis frustraneum, & Christo injuriosum esse, recurrere ad Deum mediantibus aliis præter Christum, cum S. Apostolus apertè id fecerit, de illo idem affirmas: quò quis non videt & S. Paulo, & Spiritui Sancto injuriam irrogari? Scito igitur, non ideo Christum nominari unicum mediatorem nostrum, quòd solus sit mediator, sed quia est principalis, cum per proprium sanguinem redemerit nos à servitute diaboli, & Deo reconciliaverit: quod nemo alius fecit. Sic explicat ipse Apostolus loc.

à te cit. cùm enim dixisset : *unus me-*
diator Dei, & hominum homo Christus
JESUS, mox addit : *qui dedit*
redemptionem semetipsum pro nobis.
 Sancti verò sunt solùm mediatores
 secundarii, quia postquam à Chri-
 sto redempti sumus, intercedunt
 pro nobis, ut redemptionis fructum
 percipiamus. Neq; hæc intercessio
 ullo modo obscurat officium media-
 toris Christi. Tum quia intercessio
 viventium in terris non obscurat
 illud : alioquin S. Paulus, & plurimi
 Sancti & Sapientes viri aliorum in-
 tercessionem petentes pariter erras-
 sent : ergo nec intercessio Sancto-
 rum in cælo existentium. Tum quia
 sicut nos pro nobis ipsis possumus
 orare Deum sinè injuria Christi, ità
 Sancti nobiscum possunt idem præ-
 stare : adhibentur enim tanquam
 comprecatores, ut nostris oratio-
 nibus suas adjungant. Tum deniq;
 quia omnem vim impetrandi, quam
 habent, acceperunt ex meritis Chri-
 sti :

sti: unde potius ad honorem ipsius cedit, quod ipse sit principalis mediator, & alii sint secundarii, qui ab ipso in omnibus dependent: sicut cedit ad honorem Regis, quod alii omnes, si quid rectè faciunt in Re- pub. ipsius Imperio, & autoritate faciant. Non vides errorem tuum? collyrio oculos inunge.

Acatb. Christus verbo & exem- plo nos docuit solum Deum Patrem invocare. Nam Matt. 6. & Luc. 11. habetur: *orantes dicite: Pater noster, qui es in caelis.* Ipse Christus aliquo- ties Patrem compellat Joan. 12. *Pa- ter, clarifica me,* 17. *Pater venit hora* &c. Ergo nec Angeli, nec homines mortui invocandi sunt.

Cathol. Iterum pessimum Sophistā agis: quia clarè ex tuo discursu se- quitur, quod nec Filium, nec Spiri- tum Sanctum invocare liceat: quod nemo hætenus dicere ausus est. Imò

ipsi Magdeburgenses A catholici, ex quibus errorem hunc hausisti, Centur. 1. lib. 1. c. 4. paulò post dicunt: *quòd etiam Filius possit & debeat invocari, exempla docent.* Et adhuc inferius de Spiritu Sancto idem affirmant. Quòd autem id sequatur, patet manifestè, quia Pater est distinctus realiter à Filio, & Spiritu Sancto: ergo si solus Pater est invocandus, Filius & Spiritus Sanctus non est, cum *sò solus* excludit alias personas. Sicut ergo non rectè sequitur: Christus verbo, & exemplo solum patrem invocari docuit; ergo Filius Dei, & Spiritus Sanctus invocandi non sunt: ita pessima est tua consequentia. Qui igitur cæci non sunt, sed veritatem vident, dicunt, Christum, dum Apostolos docuit orare, non de eo, qui orandus est, sed de iis rebus, quæ petendæ sunt, admonere discipulos voluisse: satis enim constabat, Deum esse orandum, sed de modo orandi, seu de

de rebus petendis Apostoli doceri indigebant, dum Luc. 11. dicerent: *doce nos orare.* Non vides errorem tuum? collyrio utere.

Acatb. Nullum extat præceptum divinum de invocatione Sanctorum. Ergo non sunt invocandi: quia Deuter. 12. v. 32. dicit Deus: *quod præcipio tibi, hoc tantum facito domino, nec addas quidquam, nec minuas.*

Cathol. Bone vir, si te interrogem: comedisne bis in die? respondebis: ita. Si ex te quæram: quoties bibis per hebdomadam? dices: sæpius. Sed ubi de hoc extat divinum præceptum, ut bis in die edas, aut sæpius in hebdomada bibas? non advertis, quam stolidè argumenteris? Itaq; textus ille, ex quo tam ineptam consequentiã formas, non debet intelligi generatim de quocunq; opere faciendo, sed speciatim de offerendo sacrificio, ut sensus sit: quod tibi præcipio, ut offe-

fas in sacrificio, hoc tantum offeras, & non aliud. Combines verba illius capituli Scripturæ, ex ipsis terminis hunc sensum colliges, si sapias. Non vides, quòd Dei Verbo abutaris? collyrium adhibe.

Acatb. Si Sanctorum invocatio superstitione, & ethnica imitatione careret, non peteretur ab uno unum, ab alio aliud, cum Deus unus sit author omnium donorum, & æquè posset per intercessionem unius, ac per intercessionem alterius quilibet concedere. Sed vos Catholici unum invocatis contra pestem, alium contra oculorum dolorem, alium contra dolorem dentium, &c. Ergo superstitiosè operamini.

Cathol. Nescis, per Apostolos quoque aliquos Deum operatum fuisse certa miracula, quæ non fecit per alios? Sic Act. 3. claudum ex utero matris suæ fecit Petrus ambulare, non verò alii Apostoli. Licet igitur Deus possit, si velit, per quemlibet

Sanctorum omnia concedere, & sine
 Sanctis etiam omnia dare, interdum
 tamen vult unius intercessione pro-
 digium aliquod patrare, aliud verò
 per intercessionem alterius. Quòd
 autem per unum operetur hoc, per
 alium aliud miraculũ, imò aliquan-
 do nullum, licet hic major Sanctus
 sit, solus rei hujus causam novit, ut
 S. Augustinus docet in Epist. 137. ad
 Clerum, & populum Hipponensem.
 Et quis novit consilium Dei? aut
 quis ei dicere potest: cur ita facis?
 Cæterum si cæcus non esses, vide-
 resq; libros Catholicorum, scires
 nos petere ab omnibus omnia. Ne-
 que putamus ita ab uno unum esse
 petendum, ut non etiam existime-
 mus alterius intercessione obtineri
 posse, quamvis quidam Sancti ali-
 quo genere miraculi interdum
 magis polleant. Collyrio
 oculos inunge, &
 videbis.

P A R S I I.

DE VENERATIONE ET CULTU SACRARUM IMAGINUM.

A^{Cath.} Jam video cultum, & invocationem Sanctorum, prout ea Catholici profitentur, & in praxim deducunt, non esse idololatriam, sed potius approbanda ut Sacrae Scripturae conformia. Verum vos ab idololatria immunes dicere non possunt ob facturam imaginum, earumq; venerationem. Formatis etiam vobis imagines etiam Sanctissimae Trinitatis non solum ideo, ut eas videndas proponatis, sed etiam ut adorentur, sicut docet Thomas Aquin. par. 3. q. 25. a. 3. Quod autem haec sit idololatria, Scriptura utriusq; Testamenti testatur, severe prohibendo facturam, & cultum simulacrorum. Sic Exod. 20. v. 4. & Deuter. 5. v. 9. legitur: *Non facies tibi*

tibi sculptile, neq; omnē similitudinē
 qua est in celo desuper, & qua in terra
 deorsum, nec eorum, qua sunt in aquis
 &c. Quod est præceptum Decalo-
 gi, qui Decalogus cū sit compen-
 dium legis naturæ, semper durat, &
 Christianos etiā obligat, non so-
 lūm ad non colendum imagines, sed
 etiā ad non faciendum:

Cathol. Nunc proponis succum im-
 posturæ Calvinisticæ, quæ miseras
 rudium hominū animas dementa-
 re solet. Te ad Sacras literas remit-
 to: Nōne Exod. 25. iussit Deus du-
 os Cherubinos aureos, sive figuras
 & imagines Angelorum super arcam
 fœderis collocari? qui adoranti-
 bus Deum in arca præsentatum, unā
 cum ipso Deo objicerentur, & simul
 honorarentur, ut docet S. Hierony-
 mus, & ex vobis ipsis plurimi faten-
 tur.

Serpens quoq; æneus, qui teste
 S. Joan. Evangelista c. 3. fuit figura
 Christi, honorabatur ex voluntate

Dei, cùm ipse jufferit eum poni in sublimi Num. 21. & salutem miseris eum aspicientibus attulerit. Si autem imagines Angelorum, & Christi in forma serpentis venerari licuit, cur non imagines Sanctorum?

Videmus etiam in Sacris Literis res inanimatas ad Deum aliquo modo relatas in magna veneratione & honore habitas. Nam arcam foederis nemo tangere audebat, nisi Levitæ, laicis etiam appropinquare vetitum erat Josu. 3. v. 3. ob ejus contactum Oza mortuus est 2. Reg. 6. v. 7. ob curiosum ejus aspectum plurimi Bethisamitæ occisi 1. Reg. 6. v. 19. Cur ergo imagines, Deum & Sanctos representantes honorem non mererentur? Dicitur etiam Ps. 98. v. 5. *adorate scabellum pedum ejus, quia Sanctum est*: ubi per scabellum designari arcam, indicatur 1. Paralip. c. 28. v. 2.

In loco igitur à te cit. non prohibetur usus imaginum, siye veri Dei,
siye

sive creaturarum (quomodo enim aliàs Deus ipse post illud præceptum jussisset duos Cherubinos etiam in Sancto Sanctorum collocari?) sed prohibentur idola, sive ficti Dii, eorumq; cultus. Unde *non facies tibi sculptile*, septuaginta Interpretes verunt: *idolum*, imaginem Dei falsi & ficti. Ac ipse Deus quid intelligat per *sculptile*, se infra *v. 23.* explicans ait: *Non facies Deos argenteos, nec Deos aureos.* Patet etiam ex *Levit. c. 26. v. 1.* ubi dicitur: *non facietis vobis idolum & sculptile, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum.* Tam procul autem abest à Catholicis, ut idola colant, ut ea unanimiter detestentur, & cum manifesto periculo etiam mortis ea sæpe conspuerint, prostraverint, conculcârint, combusserint, qui inter Gentes ea colentes, habitaverunt. Non vides imposturam Calvinî? collyrio utere.

Acath. Omnes imagines sunt idola,

la, ut ex Lexicis Græcis constat. Unde etiam Baruch Propheta c. 6. deridet idola, varios ipsis effectus exprobrans, nempe quòd non possint loqui, se movere, surgere si in terram ceciderint, se defendere, abstergere faciem pulvere, vel fumo: quæ omnia etiam imaginibus conveniunt. Ergo cum vetantur idola, vetantur etiam imagines.

Cathol. Rursus blasphemias miser contra Deum, quem idolorum authorem arguis. Si enim omnes imagines idola sunt, etiam Cherubini aurei, quos Deus super arcam foederis collocari præcepit, idola dicenda erunt. Præterea te ipsum quoque gravissimi sceleris condemnas: quia scio te libenter habere monetas imaginibus Beatæ Virginis & Regum insignitas, quas etiam precario cupidè quæris, & in domum tuam infers. Puto autè, quòd non nescias (jactas enim te Scripturæ peritum) quod Deuter. 7. v. 26. dicatur: *Non*
infe-

*inferes quidquam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est. Crede jam, quòd cæcus sis. Scito igitur, quòd quamvis Græci Grammatici non distinguant idola, & imagines, Theologi tamen in materia de fide non admittunt hanc etymologiam: alioqui enim etiam Christus, qui juxta Apost. 2. ad Cor. 4. est imago Patris, erit idolum; quod dici sine blasphemia nequit. Imago proinde est verissima expressio alicujus rei: sic enim eam propriè Sancti Patres describunt, Gregor. Nazian. Orat. 36. August. lib. de Genesi ad lit. clarissimè Damascenus Orat. 3. de imaginibus: *imago similitudo est, exemplum atq; effigies, qua illum in se, cujus imago est, exprimit. Idolum verò dicitur falsa expressio alicujus rei, sicuti habemus Habac. 2. v. 18. Quid prodest sculptile quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam?* Ex hoc discrimine sic argumentor: idolum est falsa imago;*

imagines Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum non sunt falsæ imagines; ergo imagines Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum non sunt idola. Et hoc argumento utitur Euthymius contra Bogonotos hæreticos in Panopl. par. 2. tit. 23. c. 1. Quare Baruch Proph. à te cit. illas imperfectiones idolorum per ludibrium Gentilibus objecit, qui ipsasmet imagines pro Diis habebant, ut testantur Sacræ Scripturæ, & Sancti Patres passim. Quippe Daniel. 5. dicitur de illis: *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos & argenteos, ligneosq; & lapideos.* Sapien. 13. v. 10. *appellaverunt Deos opera manuum suarum.* Conformer S. Joan. Chrysost. homil. 38. in Act. 17. S. Athan. contra Gent. aliq; quos brevitatis causâ omitto.

Unde falsissimè dicit Calvinus lib. 1. Instit. c. 11. §. 9. & 10. nec Judæos, nec Gentiles habuisse simulacra pro Diis, sed in simulacris verum Deum colu-

coluisse. De Gentilibus enim lo-
quuntur proximè citati Scripturæ
textus. De Judæis autem Psal. 105.
v. 35. Sic canit Propheta : *commixti
sunt inter Gentes, & didicerunt ope-
ra eorum, & serviverunt sculptilibus eo-
rum, & factum est illis in scandalum;
& immolaverunt filios & filias suas dæ-
monibus.* Et prius in eodem Psal. v.
20. *mutaverunt gloriam suam in simi-
litudinem vituli comedentis fanum,
obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui
fecit magnalia in Ægypto.* Similia ha-
bentur Deut. 32. v. 17.

Neq; obstat, quòd Exod. 32. po-
pulus de vitulo aureo dixerit : *Hi
sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de
terra Ægypti.* Vel illud : *cras solemni-
tas Domini est.* Quæ erant verba Aa-
ronis diem festum in honorem vitu-
li aurei per præconem indicentis.
Vel illud Jud. 17. à matre Michææ di-
ctum : *sanctificavi, & vovi Domino
mille & centum argenteos, ut faciam
sculptile, atq; conflatile.* Vel illud i-
bid.

bid. v. 13. *Nunc scio, quoniam benefecit mihi Deus: quod Michæas dixerat post formatum, & fabricatum sculptile, quod Dannitæ per Levitam consulentes hoc responsum tulerant à Levita Jud. 18. v. 6. Deus respexit viam vestram.* Ex quibus ineptè & fallacitè infert Calvinus, quòd Judæi à Deo reprehensi in idolis suis verum Deum adoraverint, sicut Catholici dicunt se in imaginibus Christum, aut Sanctos venerari. Nam quòd Judæi ante vitulum non verum Deum adoraverint, apertissimè demonstrat Scriptura, cum loc. cit. Exod. Judæi idola vocaverint Deos suos: *fac nobis Deos, qui nos precedant.* Et: *hi sunt Dii tui Israel.* Etiam Deut. c. cit. v. 18. Sic reprehenduntur: *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Dei creatoris tui.* Item cit. psal. 105. v. 19. *& fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile:* Ibid. v. 21. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos.* Quomodo autem
 fuif-

fuiſſent obliti, ſi cum adorâſſent?
 Quod etiam v. 5. ejuſd. c. 32. Exod.
 nomen ipſum Domini à Judæis ido-
 lolatris tribuebatur idolo, reſtan-
 tur Interpretes, qui in c. 32. Exod.
 Scripſere; & hoc fortè ſignificat
 Scriptura Sapi. 14. dum ait: *incom-
 mutabile nomen lapidibus, & lignis im-
 poſuerunt.* Deniq; tam illum Michæ-
 am, quàm Levitam, & Dannitas v.
 24. Simulacrum pro Deo habuiſſe;
 non obſcurè conſtat ex verbis Mi-
 chææ ſic conquerentis contra Dan-
 nitas v. 24. *Deos meos, quos mihi feci;
 tuliftis, & Sacerdotem, & omnia, quæ
 habeo, & dicitis: quid tibi eſt? Quòd
 autem Michæas dixerit: Nunc ſcio,
 quia benefaciet mihi Dominus, non i-
 deo dixit, quòd habeat idolum, ſed
 quòd in domo ſua habuerit perſo-
 nam Levitici generis, propter cu-
 juſ ſanctitatem ſperabat ſibi à Deo
 benedictionem largiendam, ut cla-
 rè oſtendunt hæc ejus verba v. 19.
Nunc ſcio, quia benefaciet mihi Deus
*haben-**

habenti Levitici generis Sacerdotens —
 Non vides jam Calvini tui impostu-
 ram? collyrio oculos inunge.

A cath. Imago non est capax ho-
 noris ac venerationis, cum sit inani-
 mata, & sensus ac rationis expers.
 Nec bene dicitur Sancta: si enim es-
 set Sancta, vel esset talis ratione
 materiae? vel ratione formae? vel
 ratione respectus ad exemplar? vel
 ratione relationis ad sanctitatem e-
 xemplaris? (alia namq; ratio ex-
 cogitari non potest) Non est autem
 Sancta ratione materiae, quae est
 aurum, argentum, lignum, marmor,
 &c. nec ratione formae, quae est figu-
 ra accidentalis, opus hominis. Nec
 ratione respectus ad exemplar, quia
 ille respectus est naturalis ad cor-
 pus alienum abstrahendo à sanctita-
 te. Nec ratione relationis ad san-
 ctitatem exemplaris; quae relatio
 est tantum conficta per nostram i-
 maginationem.

Cathol. Notum est omnibus, ima-
 gi-

ginem duplici modo spectari posse.
1^{mo}. Materialiter & physicè, nempe
 secundùm materiam, artem, figurã,
 &c. præcindendo à repræsentatio-
 ne, & relatione, ex qua res habetur
 Sancta. Et sic non colimus imagi-
 nes, utpote rationis expertes, atq;
 hoc ipso adorationis incapaces;
 nec is, qui imaginẽ amat, v. g. quòd
 aurea sit, vel affabrè facta, propterea
 amat rem ab ea repræsentatam, v. g.
 Judam. *2^{dò}*. Consideratur formaliter
 secundùm relationem repræsen-
 tationis, adeòq; imago ùt imago,
 siue quatenus secundùm repræsen-
 tationem vivã continet in se exem-
 plar, ità ut directè consideretur tam
 imago, quàm prototypon per mo-
 dum unius adæquati objecti, quod
 dici potest imago exemplaris ani-
 mata, seu prototypon imagine ve-
 stitum non realiter, sed per simpli-
 cem apprehensionem, ac vivam re-
 præsentationem exemplaris in ima-
 gine, ac si adesset, quemadmodum
 filii

filiis in imagine suos concipiunt parentes. Atque hoc modo Sacras imagines colimus; siquidem secundum hanc acceptionem est idem omnino motus in imaginem, & rem significatam, ut etiam Arist. lib. de memoria docet, eundem omnino motum esse in imaginem, & rem significatam.

Cæterum notant communiter Catholici Doctores, imagines non esse colendas per se ultimatè, sive ob excellentiam ipsius, ipsiq; inexistentem (qui dicitur cultus absolutus) sed propter prototypon, & hujus excellentiam tanquam rationem objecti formalem, qui vocatur cultus respectivus, cum fiat alteri propter respectum, & connexionem quam habet ad aliud, & ratione cujus honore dignum judicatur. Unde communiter cultus imaginum dicitur respectivus.

Notant præterea imagines nunquam ita licitè adorari posse, ut
cul-

cultus in ipsis penitus, & ultimò si-
stat, sed istum ad exemplar referri
debere; cùm exemplar sit objectum
quo, seu ratio formalis, propter quã
imago colitur. Neq; aliter nos Ca-
tholici colimus imagines.

Quòd autem tali cultu respecti-
vo colendæ sint, vel ex hoc pruden-
tiali discursu sufficiẽter ostenditur:
quia honor imaginis redundat in
honorem sui prototypi: honorem
autem Christo, & Sanctis indubi-
tanter debemus secundùm eorun-
dem excellentiam: ergo & imagi-
nes eorum sunt venerandæ. Nam
honor illorum imaginibus exhibi-
tus exhibetur eorundem personis:
sicut honor, vel despectus imaginis
Cæsaris factus fit ipsi Cæsari, prout
observat D. Ambrosius serm. 10. in
psal. 118. dicens: *qui imaginem co-
ronat Imperatoris, utiq; illum honorat,
cuius imaginem coronavit; & qui sta-
tuam contempserit Imperatoris, Impe-
ratori utiq; fecisse videtur injuriam.*

Quod

Quod ipsum ex solo prudentiæ di-
 ctamine dixit Arist. loc. paulò antè
 cit. & toti mundo ostendit Theodo-
 sius Imperator, qui, dum Antioche-
 ni imaginem ejus, ac conjugis Pla-
 cillæ dejecissent, ac per plateas tra-
 xissent, injuriam hanc & sui ipsius,
 & conjugis suæ esse ratus, universam
 Antiochiam vastitate damnavit, te-
 ste Niceph. lib. 12. c. 43. Imò ipse
 quoq; Constantinus Copronymus
 iconoclasta mali corvi malum ovū,
 Stephanum Auxentianum Mona-
 chum collo alligatum, manibus à
 tergo vinctis in carcerem detrudi
 jussit, quod numum Imperatoris ef-
 figie signatum pedibus protriverit.
 Ità historiam ex Henrico Sponda-
 no ad annum Christi 765. accipe:
 Constantinus Copronymus odio in
 cultores imaginum flagrans cùm in-
 tellexisset ingentia miracula, quæ à
 Steph no virtute Sanctarum ima-
 ginum Christi Domini, ac Deiparæ
 Virginis edebantur, invidiâ motus,
 illum

illum ex Proconneso, quo relegatus fuerat, Constantinopolim reduci iussit, ubi post habitam cum ipso de sacrarum imaginum adoratione disputationē, Stephanus numum Imperatoris effigie signatum proferens, quærit, num puniendus esset, qui illam effigiem pedibus conculcasset? & cum qui adstabant, id assensissent, tum vir Dei gravem ex impetore gemitum emittens, *dimmanem* (exclamavit) *vacitatem!* si pro mortalis Imperatoris forma & effigie gravissimas penas irrogandas esse dixistis: quam tandem penam subiturum esse putatis, qui Filii Dei, & Matris eius effigiem conculcavit? Vixq; hæc dixerat, cum numum eum pedibus protrevit. Ob quod adstantes in mare præcipitem dare volebant; Imperator tamen lenitatē simulans prædictæ duntaxat pœnæ subiecit.

Videsne jam, quòd imago capax sit honoris, quo honoretur propter prototypum, ac proinde respectivè,
licèt

licet non sit capax honoris, quo honoretur propter se, sive absolute. Ineptè igitur discurrens cum tuo Amelio, qui contra hanc distinctionem instare volens, ait: si imago non debet honorari propter se, tum non quia est imago; si non quia est imago, tum non relative, siquidem quà talis est respectiva. Sed quàm falsa sit prima hypothetica ejus propositio, vel ipsis Logicis constat, apud quos imago diversimodè sumitur: semel secundùm inadæquatũ, deinde secundùm adæquatũ suum conceptum. Imago enim cùm sit relativa duo importat: fundamentũ nempe, & terminum. Quamvis ergo honoris capax non sit, quatenus solùm dicit fundamentum, est tamen quatenus cum termino suo sumitur. Sic Legatus Principis non honoratur propter se, sed propter Principem, quem repræsentat. Ex quo tamen inferri non potest, Legatum non honorari quia Legatus est: ideo

ideo enim ipse honoratur, ut per ipsum honor in Principem transferatur.

Ad alterum, quod mihi objiciebas, dico imaginem esse Sanctam propter significationem, & repræsentationem rei Sanctæ. Nec ad honorem requiri physicam objecti excellentiam, sed sufficere moralem ex comuni hominum æstimatione ortam. Nam alioqui nec Magistratus, nec Doctores, forent honorandi, cum nec jurisdictio in Magistratibus, nec Gradus Academicus in Doctoribus sit aliquid physicum. Sufficit ergo moralis excellentia ex respectu exemplaris nata, ut patet ex eo, quod supra de Imperatore Theodosio, ac ipso etiam Iconomachorum Principe Constantino Copronymo injuriam imagini suæ factam ulciscente diximus. Nondum vides veritatem? collyrium adhibe.

Acatb. Nónne etiã Concilia plura improbârunt imagines, eorúmque cultum?

Cathol. Nullum legitimum Concilium prohibuit usum, cultumq; imaginum. Sed quia vos nescitis discernere inter legitima & illegitima Concilia, ideo talia fingitis. Consule libellum, quem anno superiore contra Orationem secularem Joannis Tsétsi edidi, illuminaberis. Multa etiam perperam explicatis, ut vestris erroribus pallium prætexatis. Allegatis Concilium Constantinopolitanum an. 730. sub Leone Isauromomacho; & alterum ibid. an. 754. sub Constantino Copronymo celebratum, & nescitis, quod omnes auctores, qui de Conciliis generalibus scripsere, ut Psellus, Photius, Zonaras, Nicephorus, Cedrenus, Nicætas, Paulus Diaconus, Regino, Ado, Sigebertus, Abbas Urspergensis, & alii, ista Concilia Constantinopolitana vel non numerant inter Concilia Ecclesiæ, vel apertè reprehendunt. Nec immeritò, quia neutrum fuit legitimũ, cum in prio-

ri nec Pontifex, neq; ullus ejus Legatus, imò nullus Episcopus fuerit, siquidem nullus historicus alicujus Episcopi meminit, sed tantum hominum profanorum. Est autem regula Ecclesiastica Concilii I. Nicæni, sine licentia Romani Pontificis non licere Concilia generalia celebrare. Neq; posteriori interfuit legitimus Patriarcha Constantinopolitanus nomine Germanus, sed ejus locò intrusus Anastasius. Unde Acta ejusdem Pseudosynodi irrita statim declaravit Stephanus Papa, quin & ipsi Patriarchæ, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Antiochenus fortiter eidem restiterunt, ut refertur in Annalibus Ecclesiæ ad cit. anm. His ergo Conciliabulis fidem habes, & refragaris Nicæno 2. aliisque legitimis, & Oecumenicis Conciliis, quæ doctrinam catholicam ab Apostolis acceptam de cultu imaginum vel approbârunt, vel planè definiverunt? Certè ipsi Apostoli in Concilio An-

tiocliæ celebrato jubent fieri, & Judæis, ac idolis opponi imagines veri Dei, & Salvatoris nostri Domini JESU Christi, & Sanctorum. Hæc illorum sunt verba: *Ne errent Fideles erga idola, sed exprimant Divinam Humanam immaculatam manufactam imaginem veri Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, & servorum ejus, ex adverso coram idolis, & Judæis: neq; amplius errent erga idola, aut Judæis similes fiant.* Quæ verba ex Græca versione habentur apud Jacobum Gualterium in Tabula Chronographica fol. 17. & 79.

Omitto copiosissima Sanctorum Patrum testimonia, quibus imaginum cultus svadetur. Unicus ad rem nostram sufficiat S. Basilius in Epist. ad Julianum Imperatorẽ, quam adducit Adrianus I. Synodo 7. Act. 2. apertè dicens: *Historias imaginum illarum Christi, Deiparæ, &c. honoro, & palam adoro: hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis non est prohibendum, sed*

*sed in omnibus Ecclesiis nostris earum
historias erigimus.*

Prob. etiam ex perpetuo Eccle-
siae usu miraculis confirmato. Chri-
stus ipse imaginem suam ad Abaga-
rum Edessæ Regem (utiq; in honore
habendam) misit , quæ postea mira-
culis coruscavit, ut videre est apud
Baronium ann. 545. 586. 610. 621.
678. 944. Idem Dominus, ac Salva-
tor noster suam effigiem linteo im-
pressit, ut in velo Veronicæ, & in
Syndone Vesontina, eaq; variis mi-
raculis cohonestavit, teste eod. Ba-
ron. ad annum Christi 43. Mulier à
fangvinis fluxu per Christum cura-
ta, effigiem hujus ex ære fusam ere-
xit Panneadæ, quæ per 300. & am-
pliùs años ad Juliani Apostatæ tem-
pus conservata omnis generis mor-
bos depulit : ut testatur Euseb. lib.
1. c. 14. Nicephorus lib. 10. c. 30. &
Sozomenus lib. 5. c. 21. qui addit,
Imperatorem in locum illius imagi-
nis Christi sublatae substituisse suã,

sed statim ignem vehementem cælitus delapsum, statuatam illam Juliani circa pectus discidisse, & caput unà cum collo dejecisse, tellurique facierenus infixisse, quatenus media circa pectus fuerit disrupta. Ex historia etiam Constantini Magni idem antiquus usus sacrarum imaginum colligitur: ut patet ex Edicto ejusdem. Denique à S. Luca Apostolo depictas fuisse imagines tum Jesu Christi, tum B. V. M. tum Apostolorum, præter alios testatur etiam Nicephorus lib. 2. c. 43. addens, in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandum, & pretiosum opus fuisse illatum. Nec abs re, quia communiter experimur, nos per imagines Christi, ac Sanctorum ad pios erga eosdem affectus excitari: maximè cum Christi patientis mysteria effigiata oculis nostris objiciuntur. Adhuc cæcutis? utere collyrio.

Anthol. Cùm de velo Veronicæ
men-

mentionē feceris, & de effigie Christi eidem impressa, reflicas mihi in memoriā, hymnum istum à Catholicis ad eandem effigiem dici solitū:
*salve sancta facies impressa pannicula.
 Nos ab omni macula purga vitiorum.
 Atque nos consortio junge Beatorum.
 Nos perduc in patriam ô felix figura!
 ad videndam faciem, qua est Christi pura.* Ubi imagini Christi faciei vim tribuitis peccata emundandi, & salutem æternam conferendi: quod magnam censeo esse idololatriam.

Cathol. Ut video, tu non solūm cæcutis, sed etiā surdaster es. Nonne jam dixi illa, & similia verba tendere non in solam imaginem, sed in prototypon, seu exemplar, quod imago repræsentat. Cū ergo hęc objectum repræsentatū sit ipse Christus Salvator noster, ad illum dicitur: *nos ab omni macula purga vitiorum, &c.* Negasne hęc ad Christū dici posse sinē idololatria, quemadmodum Judæi negabant Luc. 5? Non

vides te Judaizare? collyrium oculis illine.

Acath. Quidquid sit de imagine Christi, & Sanctorum, adhuc idololatra dicendus est, qui pingit imaginem Sanctissimæ Trinitatis non tantum ideo, ut illa oculis cernatur, sed etiam ut adoreretur: sicut docet Thom. Aquin. p. 3. q. 25. a. 3.

Cathol. Visne haberi sapientior, aut sanctior Thomâ Aquinate, imò tot sapientissimis, sanctissimisque Viris, qui à primordio Ecclesiæ Christi, Dei & Sanctissimæ Trinitatis imagines in veneratione habuerunt? Nec sinè ratione: tum quia in veteri Testamento per varias rerum corporearum imagines Deus olim fuit representatus; tum quia speciatim Daniel. 7. v. 9. *Deus sedisse, & apparuisse dicitur tanquam antiquus dierum, cujus vestimentum candidum quasi nix, & capilli capitis quasi luna munda.* Legatur etiam Matt. 5. v. 16. Joan. 1. v. 32. quòd Spiritus Sanctus in specie

oie columbæ descenderit. Item Act. 2. v. 3. quòd in forma dispersitarum lingyiarum tanquam ignis apparuerit. De Filio pariter constat, quòd semetipsum exinaniverit formam servi accipiens, & habitu inventus sit ùt homo. ad Phil. 2. v. 7. Cur ergo ità depingi non possint?

Neq; Calvinus quidquã probat, dum dicit, ideo esse prohibitas imagines Dei, quia Deus est invisibilis, & incorporeus. Nam etiam Angeli sunt incorporei, & tamen depicti, & sculpti sunt in veteri Testamento, ùt patet ex locis Scripturæ supra cit. Accedit, quòd multa pingantur, quæ minùs videntur posse pingi, quàm Deus, nimirum Virtutes, quæ non solùm spirituales, sed accidentia etiã sunt. Cur ergo non posset pingi Deus? Cæterùm pro hujusmodi imaginationibus semper habemus correctivam cogitationẽ: quippe scimus, Deum ità se non habere; sed aliter concipere non va-

Iemus, ut iudicat S. Dionys. Areopag. de cœlesti Hierar. c. 2. Necdum vides, quantum erras? collyrio oculos inunge.



T A R S III.

DE CULTU SACRARUM RELIQUIARUM.

A^{Cath.} Vos Catholici etiam Sanctorum ossibus, cæterisque reliquiis virtutem sanctificandi tribuiti, ita ut si quis alicujus Martyris off tetigerit, continuo ejusdem sanctitatis aliquatenus particeps fiat: quemadmodum docet Franc. Costerus in Enchirid. Controv. c. 15. pag. 489. Quod idololatriam sapere videtur.

Cathol. Miror ego te, quod tam palpabiliter mentiri audeas. Nam Francif. Costerus loc. cit. nec mentionem facit virtutis Reliquiarum, sed

sed tractat de Sacramento pœnitentiæ, & quidem pag. 489. non nisi solutionem argumenti cuiusdam ab A catholicis de satisfactione parte Sacramenti ejusdem contra Catholicos objecti adducit, ac solidè errorem adversariorum ostendit. Verùm neq; c. 23. ubi cultū Sacrarum Reliquiarū cum veritate contra Novatores propugnat, allatam à te propositionem habet: sed à te, vel tui similibus conficta est secundum impostorum consuetudinem.

Cæterùm notum tibi sit, quòd Deus per Reliquias Sanctorum plurima & in veteri Testamento, & in novo patrauerit miracula. 4. Reg. 2. Eliæ pallio sistebantur, & fundebantur ruentes Jordanis aquæ. Ibid. c. 13. ossa Elisæi dum tetigissent mortuum quendam hominem, continuò illum ad vitam revocârunt. Act. 5. v. 15. dicitur Divi Petri umbra saluti fuisse ægris: item sudaria, & semicinctoria D. Pauli

Act. 19. v. 11. & 12. Quæ autem nostris quoq; temporibus contingunt, innumera sunt. Unde meritò Justinus martyr. q. 28. ait, *Sanctorum corpora, martyrumq; Reliquias, demonum amoliri infidias, & morborum ab arte medica comploratorum conferre sanationes.* Joan. Chrysoft. homil. 32. in epist. ad Rom. *Quis mihi (inquit) nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre pulverem corporis illius, &c.* & homil. 66. ad populum: *idcirco sæpe eos invisamus, tumulos adornemus, magna fide reliquias eorum contingamus, unde benedictionem aliquam assequamur.*

Neq; tamen verum est, quòd Catholici profiteantur ossibus Sanctorum, aut cæteris eorum Reliquiis virtutem illam, quâ hæc patrantur, re ipsa inesse, sed omnes fatemur beneficia quælibet supernaturalia, quæ per contactum sacrarum Reliquiarum accipimus, promanare ex potentia Dei, intuitu meritorum talium

um

um Sanctorum, vel ad eorum intercessionem mirabilia operantis. Non vides imposturam tuam ? adhibe collyrium.

Quòd autem Reliquiæ Sanctorum venerandæ sint, tot pro hac veritate suppetunt argumenta, etiam ex Sacris Literis desumpta, ut recenseri vix possint. Præter ea enim, quæ jam tum ex veteri, tum ex novo Testamento attuli, Exod. 13. Moyses in egressu ex Ægypto, ossa Josephi Patriarchæ religiosè asportavit, postea in terra Sichem tumulo honorificè illata. Deuter. ult. Deus ipse corpus Moyse honoravit, dum illud manibus propriis sepelivit. 4. Reg. 23. dum Josias delubra idolorum everteret, & omnem idololatriam delere vellet, tantùm abest, ut Reliquias Sanctorum destruendas existimaret, ut cùm aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres rede-gisset, ossa tamen Sancti Prophetæ ibidem reperta asservari jussit.

rit. Act. 8. v. 2. *Stephanum post martyrium curaverunt viri timorati.*

Ex quibus formatur hæc demonstratio : quod Deus coli & honorari vult, illud dignum est honore & cultu : nihil enim positivè vult Deus, nisi quod conveniens est. Sed DEUS voluit honorari Reliquias Sanctorum. Ergo hæc cultu & honore dignæ sunt. Assumptio patet ex cit. jam textibus. Neq; enim dici potest, quòd Moyses aliq; Sancti in iis adducti contra Dei voluntatem in honore Reliquiis exhibito egerint : aut quòd Deus ipse corpus Moyfi eo honore dignatus fuerit, nisi id dignum judicasset : aut deniq; quòd tot tantisq; miraculis dictas Reliquias illustraverit, si eas honorari noluisse. Certè S. Hieron. epist. ad Ripar. contra Vigilantium vel ex solo Moyfis exemplo circa ossa Josephi infert cultum Reliquiarum. Et de cura circa S. Stephanum sic scribit Pius Papa antiquissimus

Mar.

Martyr ad Justum Episcopum Vien-
nensem : cura autem Sanctorū cor-
pora, sicut membra Dei, quemad-
modum curaverunt Apostoli Ste-
phanum. Neq; enim est ratio, cur
aliorum etiam Martyrum, & San-
ctorum Dei amicorum ossa & corpo-
ra honorari non possint.

Legimus etiam Psal. 98. v. 5.
adorate scabellum pedum ejus, id est,
arcam, cui DEUS propitiatorio
insidens pedes imponere videbatur,
& propterea vocabatur scabellum
pedum ejus 1. Paralip. 28. Joannes
Bapt. calceamenta Christi valdè ve-
nerabatur ut habetur Joan. 1. v. 27.
Hæmoroïssa attactu fimbriæ Christi
sanata est, Matt. 9. v. 20. Isaias c. 11.
sepulchrum Christi prædicit fore
gloriosum, estq; id postea à toto
mundo honoris causâ visitatum. Si
autem hæc cultum & venerationem
merentur, cur non aliæ Reliquæ,
quas Christus suo tactu sanctifica-
vit, cùm in terris esset : & cur non
eti-

etiam Sanctorū aliorum, quos cultu & veneratione dignos supra ostendimus ?

Adducere plura antiquissima Concilia, ac Sanctorū Patrum testimonia, quibus ostenditur in quanto semper honore habitæ fuerint Sanctorum Reliquiæ. Sed tu hæc contemnis, quia ut errori tuo tenaciùs adhæreas, rejicis auctoritatem humanam licet Divini Spiritûs inspiratione munitam. Jactas te puro Dei verbo inhærerere, at quàm vana hæc sit jactantia, quis non videt? cùm errores tui clarè pugnent cum Verbo Dei, ut ostensum est. Præterea, unde scis, quod codex ille, quē Biblia vocas, continet Verbum Dei, sive revelationes divinas? certè non ex Bibliis, quia de illis ipsis quæritur: unde constet in iis esse verbum Dei? si autem respondeas, id constare ex ipsis Bibliis, vitiosum incurris circulum: quia idem formaliter per idem formaliter probas, sicut si
 inde

inde probares te habere fidem, quia habes fidem. Assentire igitur Ecclesiæ (quæ est columna, & firmamentū veritatis 1. ad Tim. 3. v. 15.) totq; Sanctissimis simul ac Sapientissimis viris luculentum testimonium perhibentibus de cultu Reliquiarum, quem nos Catholici profite-
mur.

Et sic novum contra tuam sententiam habes argumentum ex perpetuo usu, & traditione Ecclesiæ: nulum enim tempus assignari potest, quo primū cæperit iste cultus Reliquiarum. De Principibus Apostolorum Petro & Paulo scribit S. Gregorius lib. 3. epist. 30. post medium. Fideles orientis eo ipso tempore, quo ipsi passi fuere venisse Romam, & eorundem tanquam Civium suorum Reliquias postulasse. Verū ubi eas extra urbem ad duo millia-ria detulissent, divino fuisse miraculo prohibitos, nec ulterius deferrent, adeo ut Fideles Romani eas
tan-

tandem opitulante Deo receperint; & (addit Gregorius) eo ipſo loco, ubi ipſius Gregorii tempore viſebantur, collocârint. S. Oneſimi D. Pauli discipuli Reliquias Româ Ephesum fuiſſe translatas legitur in Martyrol. Romano 15. Feb. De S. Polycarpo discipulo Sancti Ivan teſtatur Baronius A.C. 169. ejus Reliquias pio ſtudio fuiſſe à Christianis collectas. Sedem S. Jacobi primi Hieroſolym. Antiftitis diù honorificè aſſervatam, uti & alia Sancto- rum utenſilia ſcribit Niceph. lib. 6. c. 16. Sedem ipſius D. Petri ſingulari honore uſq; hodie ſervatam Romæ videmus. S. Hieronymus in vita S. Pauli primi Eremitæ recenſet, quanti fecerit D. Antonius tunicam ejus ex palmarum foliis ab eo contextam, ſcribens ipſum diebus ſolemnibus tantùm Paſchæ, & Pentecoſtes ea indui ſolitum fuiſſe. Eandem ipſe Hieronymus cunctis Cræſi divitiis anteponit. Quanta in venera-
tione

tione S. Pauli catenas habuerit S. Joan. Chrysoftomus, ipse variis in locis eloquitur. Homil. 8. c. 4. in epist. ad Eph. ait: *cuperem videre catenas illas, quas quidem verentur, & horrent demones, venerantur verò Angeli.* En, quàm in ferventi usu per primos 600. annos fuerit veneratio sacrarum Reliquiarum; de sequentibus mille & amplius annis superfluum foret aliquid dicere, cùm pleni sint libri testimonium perhibentes. Non vides? collyrio oculos inunge.

Prob. Demum veritas catholica ratione desumpta ex S. Augustino lib. 1. de Civit. Dei, c. 15. & ex S. Thoma p. 3. a. 6. Quisquis habet affectum, venerationē, & honorem erga aliquem, etiam ea, quæ post mortem ab ipso relinquuntur, veneratur. Sed Sanctos Dei in veneratione habere debemus tanquàm membra Christi, Dei filios, & amicos nostrósque intercessores, ut supra demonstratum est. Ergo etiam eorum
reli-

reliquias in eorum memoriam congruo honore venerari debemus : præcipuè eorum corpora, quæ fuere templa, & organa Spiritûs Sancti in eis habitantis, & operantis, & sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Non vides, quid prudentia dicet? utere collyrio.

Apath. Cur ergo Matt. 23. arguuntur à Domino Judæi, quòd ornarent sepulchra Prophetarum? Etiam in veteri Testamento, Deut. ult. Moyfi corpus Deus abscondit, ne Judæi illud adorarent. Unde in epist. Judæ legitur, diabolum contendisse de Moyfi corpore, quia videlicet diabolus illud manifestare volebat, ut occasionem præberet Judæis illud adorandi.

Cathol. Deus non reprehendit Judæos, quòd ornarent sepulchra Prophetarum, sed quòd non imitarentur eos, quorum monumenta ornabant, sed potiùs eos, qui illos occide-

derunt, atq; ita se ipsos condemna-
rent. Sic enim exponunt illum lo-
cum Patres pleriq; in cap. 23. Matt.
Ambrosius autem, & Beda in cap.
11. Lucæ. Et clarè hic sensus colli-
gitur ex eod. cap, v. 31. *Itaq; testi-
monio estis vobismetipsis, quia filii estis
eorum, qui Prophetas occiderunt: &
vos implete mensuram patrum vestro-
rum.* Nec dici potest, quòd Scri-
ptura sibi contradicat. Quod autè
attinet Deuter. c. ult. crede Chry-
sostomo homil. in Mat. dicenti, oc-
cultatum fuisse corpus Moyfi, ne à
Judæis coleretur pro Deo.

Nec obstat, quod objicit Calvi-
nus, Moysen nec viventem cultum
fuisse pro Deo: ergo multò minùs
coluissent mortuum. R. enim: vi-
ventem non coluerunt, quia quoti-
die ab illo audiebant, unum esse ve-
rum Deum, se autem illius servum.
sed post mortem recordati mirabi-
lium ejus, & non audientes verba e-
jus, facilè potuissent adduci, ut cre-
dere

derent esse Deum, eúmque; adorarent, si scirent, ubi sit, quia valdè probabile est, corpus ejus licèt mortuum, conservâsse adhuc splendorem vultûs, & decorem, quem antè habebat, sicut multis Sanctorum accidit. Exemplum habemus in serpente æneo, quem cùm jubente Moyse aspicerent Judæi tacti à serpentibus, curabantur, ut refert Scriptura Num. 21. nec tamen illud adorabant cultu latriæ, quia nimirum Moyses dixerat illis, serpentem illum non esse Deum, sed signum duntaxat salutis. At 4. Reg. 18. eidem serpenti tanquam Deo sacrificabant, cùm tamen jam nulla operaretur miracula, atque ideo ab Ezechia Rege confectus est.

Neque dici potest, idem periculum nunc esse in Reliquiis aliorum Sanctorum. Nam populus Judæorum eo tempore propensissimus erat ad idololatriam, ità ut etiam vitulos aureos coleret. Unde post captivitatem

tatem Babylonicam, quia populus ille non amplius coluit idola, videmus Deū illustrasse sepulchra Isaiaë, Ezechielis, Jeremiaë, Elifæi, Abdiæ & aliorum multis miraculis, & gratum habuisse cultum, qui ossibus eorum exhibebatur, ut Epiphanius, & Hieronymus tradunt. Præterea, nunquã est auditum apud Christianos, quòd aliqui Reliquiis Sanctorum divinos honores detulerint: nec defunt in Ecclesia, qui & scriptis & sermonibus populos doceant, quis cultus Reliquiis debeat. Non vides, quàm erroneè loquaris? collyrium oculis illine.

Acath. Maxima pars reliquiarum fallax est, & sæpè accidit, ut pro reliquiis Sanctorum ossa latronum, vel etiam canum, aut asinorum venerentur Catholici. Quò quid inconvenientius?

Cathol. Ad has, & similes vestras cavillationes facilis & vera est responsio, absolutè negans, quòd Re-
li-

liquiæ, quæ publicè in templis venerandæ exponuntur, sint falsæ. Semper enim Ecclesia diligenter curavit, ne fraudes fierent, aut error. Unde in Concilio Lateranensi can. 61. & in Tridentino ses. 25. statutum est, ut nullæ novæ Reliquiæ sine approbatione Ecclesiasticæ potestatis publicæ venerationi exponantur, hoc discrimine, ut si Reliquiæ sint alicujus Sancti nondum canonizati, res ad Pontificem deferatur, cujus est canonizare: si verò alicujus Sancti antiqui pridem canonizati, sed recens inventæ, Episcopus cum Viris doctis dijudicet. Quâ cautelâ adhibitâ, Deus non facit permittet Fideles decipi falsis Reliquiis. Unde refert Sozomenus lib. 5. c. 8. mulierem Christianam ossa martyrum, quæ Gentiles camolorum & asinorum ossibus permiscerunt, revelante Deo discrevisse. Discite etiam illud, quòd multa sint, quæ juxta communem prudentum æstima-

ma-

mationē non decet honorare : quare licet connexionem aliquam habeant cum Sanctis, aut etiam Christo Domino, non admittimus veneranda esse : quia communis prudentum æstimatio, in qua ratio cultus fundatur, eis venerationem deneget. Tales sunt vermes ex corpore Sanctorum nati, asinus, cui Christus Dominus insedit, &c. Adhucne cæcutis? utere collyrio.



P A R S IV.

DE ADORATIONE CRUCIS CHRISTI.

A^{Cath.} Crucem Christi, in qua ipse pependit, vel etiam ejus effigiem adorare, nonne insignis est idolatria? Hoc autem vos facitis Catholici, ut legere est apud Gretserū Jesuitam lib. 1. de cruce, c. 49.

Cathol. Miror ego te, mi amice, quod post tot collyria adhibita eti-

am minùs rectè videas. Scire debe-
 res, crucem, in qua Salvator noster
 pependit, dupliciter considerari
 posse. 1^{mo}. ùt in opprobriùm præ-
 parata fuit à Judæis, juxta illud Sa-
 pien. 2. v. 20. *morte turpissima con-*
demnemus eum. Et sic utiq; non est
 honoranda. 2^{do}. ùt ex Dei electio-
 ne, & intentione fuit instrumentum
 redemptionis humanæ, per quod
 nos Christus liberaret, & in quo ve-
 lut altari, de hostibus, diabolo, &
 peccatis triumpharet, sanctissimo
 suo corpore illud tangens, & san-
 gvine perfundens: quomodo tam
 ipsam crucem, quàm omnes ejus
 particulas tanquàm sanctissimas Chri-
 sti Reliquias veneramus, & in ea glo-
 riamur cum Apostolo ad Galat. 6.
 v. 14. *mibi absit gloriari, nisi in cruce*
Domini nostri Jesu Christi.

Quòd verò crux Christi sic acce-
 pta adoranda sit, adoratione scili-
 cet respectiva, probatur omnibus
 illis argumentis, quibus hætenus
 cul-

cultum sacrarū Imaginum; ac Reliquiarum stabilivi. Cū enim crux, in qua Christus pependit, spectari possit vel quatenus attigit Christū, & ejus sanguine perfusa est, sicq; inter sacras Reliquias præcipua reputatur; vel quatenus est imago Christi Domini crucifixi, seu prout repræsentat Christum Dominum per modum crucis in ipsa extensum; quomodo dicitur imago Christi, sicut & cæteræ cruces pro imaginibus Christi crucifixi habentur, omnes illæ rationes svadent, crucem Christi adorandam esse.

Rationes tamen etiam speciales pro adoratione Crucis sunt non paucæ. Primò enim, ut ex Sacris Scripturis constat, Christus crucem sponte elegit ut altare summi sacrificii, quo placaretur Deus; ut scalam sibi ipsi ad Regnum; ut instrumentum liberationis Generis humani; ac demum ut instrumentum, quo diabolum vinceret, & de eo tri-

umpharet. Ex quo sequitur crucē illam veram à Deo mirificè fuisse honoratam, & nobis omnibus amabilem, & venerabilem esse debere.

Quòd sponte illam elegerit, testatur Isaias c. 53. *ibi. oblatuſ eſt, quia ipſe voluit.* Quòd crux fuerit ara ſacrificii; conſtat ex Apoſtolo ad Hebr. 7. ubi Chriſtus crucifixus dicitur ſummum ſacrificium. Unde ad Colof. 1. dicitur: *pacificans per ſanguinem crucis ejuſ, id eſt, per ſanguinem ejuſ in cruce quaſi in altari fuſum.* Quòd crux ſcala fuerit Chriſto ad Regnum, habetur Joan. 12. *nunc princeps huius mundi ejicietur foras, & ego ſi exaltatuſ fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Hoc autem dicebat, qua morte eſſet morituruſ.* Et ad Philip. 2. *Humiliavit ſemetipſum factuſ obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum.* Quòd fuerit inſtrumentum liberationis, colligitur tum ex illo ad Eph. 2. v. 16. *ut reconciliet*

ciliet ambos in uno corpore Deo per crucem &c. tum ex c. 1. ad Colof. paulò antè cit. tum deniq; ex pluribus figuris, quas recenset Joan. Damascenus lib. 4. de Fide, c. 12. Quòd cruce diabolum vicerit, docet c. 2. ad Colof. his verbis : chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, exspolians principatus, & potestates, traduxit palàm ; & confidenter, triumphans illos in semetipso.

Secundò, quia quando ad Philip. 2. v. 10. dicitur : *in nomine JESU omne genu flectatur*, præcipitur adoratio ipsius etiam nominis Jesu, & non solùm rei significatæ per illud. Ergo etiam crux Christi est adoranda : etenim utriusq; eadem est ratio, nempe connexio cum Christo Domino, ejusq; repræsentatio.

Tertiò, nam ab ipso exordio Ecclesiæ, dum odio Gentilium, & Judæorum crux Christi latebat, Chri-

stiani usi sunt imagine crucis, sive in materia stabili, ut ligno, lapide, &c. Sive in signo manu formato in aëre. Postquam autem an. Dom. 325. Imperii Constantini M. 16. Helena Constantini mater divinis monita visionibus Beatissimæ Crucis lignū, in quo salus mundi pependit, apud Hierosolymam reperit, tanta in veneratione habitum fuit, ut teste S. Chrysof. homil. *Quod Christus sit Deus*, qui parum ex illo habere poterant, auro includerent, & cervicibus imponerent, nempe veluti rem summa admiratione, & veneratione dignam. Quia, ut Damascenus loc. cit. scribit: *hoc ingentis pretii lignum, ac venerandum, in quo Christus seipsum sacrificii causâ pro nobis obtulit, ut ex Sancto corporis, & sanguinis contactu sanctificatum optimo iure adorari debet.* Similia habent alii Patres Græci, & Latini copiosè ab auctoribus passim allegati. En perpetuum usum Ecclesiæ in veneratione Crucis Christi;

sti; Patrum testimonia: quibus ad-
 di potest etiam oraculum illud ex
 lib. 6. Carminum Sybillinorum: *Est lignū felix, in quo Deus ipse pependit:*
 miraculosam Sanctæ crucis inven-
 tionem, ejusq; exaltationem: qui-
 bus multò validiùs veritas Catholi-
 ca syadetur, quàm diabolicus tuus
 error probari unquam possit. Accedunt ad hæc tot Sacrorum Conci-
 liorum, & antiquissimorū Christiano-
 rum Imperatorum decreta, qui-
 bus veneratio Sanctæ Crucis no-
 bis proponitur; tot deniq; prodi-
 giosæ ejusdem apparitiones, inter
 quas prima illa, & celeberrima fuit,
 dum Constantino Magno crux in
 aëre apparuit, verbis illis honorata:
in hoc signo vinces. Non vides verita-
 tem? collyrio oculos inunge.

A cath. Ut ut hæc sint: à crimine
 idololatriæ excusare non possum
 eos, qui adorarent dæmonem, qui
 sub specie crucifixi appareret. Hoc
 autem docent Doctores Catholici,

ex quorum numero est etiam Gabriel Vasquez 3.p. disp. 110. c. 5. dicens, quòd hoc sinè peccato fieri possit: itaq; docent idololatriam.

Cathol. Iterum mendaciorum patrem sequeris, vel ingentem tuam hebetudinem prodis. Nullibi enim hoc docent Catholici, quòd dæmon adorari possit sub quacunque specie: sed longè aliud. Brevitatis gratiâ solùm sententiam Gabrielis Vasquez Theologi eximii afferam. Quærit is loc. à te cit. an sit peccatum adorare radiū luminis vel speciem crucifixi, sub qua dæmon delitescit? quod non est idem, ac quærere: utrum peccatum sit adorare dæmonem sub radio luminis, vel specie crucifixi? ergo etiã cùm n. 33. respondet talem adorationē posse ab idololatria excusari, non dicit, quòd dæmon possit sinè peccato sub specie crucifixi adorari. 9. Sicut si diabolus sub imagine tui patris lateat, & tu invincibiliter igno-
rans

rans ibi esse diabolum, dicas : iste est meus charissimus pater, dicisne diabolum esse tuum patrem? Hoc non admittis, quia sentis animum tuum, & intentionem in tali casu dirigi ferriq; in verum tuum patrem, quem imago repræsentat; non verò in diabolum, qui nec repræsentatur ab imagine illa, nec cognoscitur ibi latere. Ita etiam Vasquez cum aliis Catholicis ait, in dicto casu non adorari dæmonem, *quia (inquit) affectus interior, qui fertur in excellentiam apprehensam rei, quam adoramus, dirigit omne opus exterioris adorationis, talisq; virtutis est, ut illud exterius signum in Deum ipsum transferre, & dirigere possit : atq; ita ex intentione animi sincera, & pura quodlibet exterius opus est verè religionis : sicut ergo homo per lapidem, aut in lapide potest Deum hac sincera fide colere ita, sic etiam in radio luminis, quod apparet, poterit ex recta circa Deum intentione & affectu ipsum venerari : & quamvis ibi es-*

set dæmon, ipsi nullo modo, aut affectus servitutis, aut externa nota submissionis exhiberetur. Ità ille, & rectè, ac Christianè, quia ut jam superiùs à me audivisti, laus & cultus, ejùsq; diversitas in animi sensu consistit, quòd damus laudem alicui propter excellentiam illius. Cùm igitur in dicto casu animus & intentio adorantis speciem crucifixi, non tendat in dæmonem, sed in speciem, & Christum crucifixum, & quidem ità, ut tota ratio hujus adorationis sit ipse Christus Dominus, non adoratur dæmon. Imò nec potest tendere in dæmonem: quia voluntas sequitur apprehensionē intellectûs juxta illud: *nihil volitum, quin cognitum*. cùm ergo in tali casu intellectus nihil cogitet de dæmone, nequit actus voluntatis in illum ferri. Non vides, quòd hic nulla sit idololatria? & non agnoscis te perversum calumniatorem esse? collyrio utere.

A cath.

Acatbol. Est adhuc aliquid, quod quidem ad cultum Sanctorum & imaginum, vel Reliquiarum non pertinet, videtur tamen idololatriam sapere quod Cornelius à Lapide Commentator in caput 7. Epist. S. Pauli ad Hebr. fol. 7. docet Sacerdotem sacrificantem majorem esse victimâ, id est, ipso Christo.

Carbol. Si aliquando, nunc certè ingentem te impostorem, vel omnis rectæ intelligentiæ Sacrarum Scripturarum expertem ostendis. Si enim Cornelium à Lapide legisti, cit. loc. exponit v. 7. ejusdem capituli dictæ epistolæ, qui sic sonat: *sinè ulla autem contradictione, quod minus est, à meliore (juxta Græcum majore, præstantiore) benedicitur.* Quod est secundùm argumentum Apostoli, quo probatur præcellentia Christi præ Aaron: quasi diceret: Melchisedec, qui fuit Christi typus, benedixit Abrahamo, & toti ejus progeniei, ac consequenter etiam Le-
yitis,

vitis, & Sacerdotibus Aaronicis : ergo tam ipse, quàm Christus, quem repræsentabat, iisdem fuit dignior, & præstantior : quia omnium confessione, major est, qui benedicit, illo, qui benedicitur.

Contra hoc objicit sibi Cornelius à Lapide : *Sacerdos (inquit) in Missa sæpe signo crucis benedicit corpus Christi, cum tamen longè illo sit minor : & dupliciter objectionem solvit.*
1^o. ait, has benedictiones non esse aliud, quàm efformationes signi crucis super corpore Christi, quæ non adhibentur ad hoc, ut Christo ipsi benedicamus, sed ut his repræsentemus crucem Christi, per eamque, ac Christum ipsum crucifixum quasi victimam nostram à Deo tacitè petamus, ut ipse nobis benedicat.
2^{do}. addit, Sacerdotem **NB.** *quatenus gerit personam Christi sacrificantis* **NB.** *quodammodo majorem esse Christo ipso sacrificato : in omni enim sacrificio Sacerdos major est suâ victimâ, quam*
offert

offert. Perperam igitur refert verba Cornelii, qui nullibi dicit absolute & simpliciter, Sacerdotem sacrificantem majorem Christo, sed cum addito: *quatenus gerit personam Christi*: ubi nulla idololatria, neq; ullum inconueniens apparet, sed veritas dictis S. Pauli conformis, quia Sacerdos quatenus gerit personam Christi, moraliter una persona cum eodem censetur, sicut Legatus Regis censetur eadem persona cum Rege: quid autem mirum, quòd Christus sit major se ipso sub diversa ratione, cum ipse dicat Joan. 4. v. 14. 28. *Pater major me est*, cum tamen inferius. c. 5. v. 10. & 30. affirmet: *Ego, & Pater unum sumus*. Quomodo verò Pater major, quàm Filius, si ambo unum sunt? Christus dicitur idem cum Patre secundum Deitatem, minor autem Patre, & consequenter etiam se ipso ut Deo, secundum humanitatem. Cum igitur Cornelius à Lapide Sacerdotem
 non

non simpliciter & absolutè dicat majorem Christo ut victimâ, sed cum addito: *quatenus gerit personam Christi sacrificantis* (quod est dicere Christum ut sacrificantem se ipso ut victimâ esse majorem) quis hoc, nisi rudissimus, improbare poterit? maximè cum Christus solùm ut homo, non quatenus Deus sit victima; sicut non ut Deus, sed tantùm ut homo est mortuus. Accedit ad hæc, quòd Cornelius à Lapide in illa sua propositione addat *quodammodo*: quod non significat absolutam majoritatem, sed secundùm quid, & quo ad aliquam duntaxat rationem. Et hoc facilè intelligeres, si vel leviter tinctus esses scientiâ Philosophicâ, & Theologicâ. Non advertis tuam cæcitatem? collyrium adhibe.

Quod utinâ mentis tuæ cæcitatem ex integro tollat, atque ita te illuminet, ut errores, qui animum tuum nimium obsederant, condènuando, veritatem amplectaris! IN-



INDEX RERUM.

- A**doratio, seu cultus quid? & quotus
plex? Pag. 1. 2.
- Cultus patriæ soli Deo debitus. 3.
- Testimonia Scripturæ pro cultu Sancto-
rum. 3. 4. 5.
- Unde diversitas cultus desumat? 7. 8. 9.
- Cur Petrus recusavit adorationem Corne-
lii? & Angelus S. Joann. Apostoli?
13. 14.
- Sana doctrina Petri Pazmany de adora-
tione SS. Eucharistia. 15. 16.
- Ostenditur error A catholicorum circa cul-
tum B. V. 17. 18. 19.
- Item de honore à Sicilia Legatis Papa ex-
hibito. 17. 18. 19.
- Sanctorum invocatio licita, & honesta.
21. 22.
- Diluuntur A catholicorum argumenta. 23. 24. & c.
- Sacra imagines veneranda. 33. 34. 35.
- Non omnes imagines sunt idola. 36. 37. & c.
- Judæi, & Gentiles in Scriptura reprehensè
habuere simulacra pro Diis. 39. 40. & c.
- Quo.

INDEX RERUM.

- Quomodo colenda imagines.* 43. 44. &c.
Etiā imago SS. Trinitatis pingi potest.
55. 57.
Sanctorum Reliquia veneranda. 59. 60.
Refelluntur Acatolicorum argumenta. 68. 69.
Cruz Christi adoranda est. 74. 75.
Cornelius à Lapide in c. 7. Heb. docet ve-
ram & Apostolicam doctrinam. 83. 84. &c.

FINIS.



RA 3440

300

Incivitus Catagogia
Haryenfa
Commencement
1744. June 7th



8144)